reque? possem plura eiusmodi nisi brevitati studere comme-
morare. Et quid? an non Rempub. caecitas in sua conservavit dig-
nitate. Certe Appius Claudius caecus fuit; et plurimas clien-
telas, Rem-denique-publicam fortissime rexit. Quin etiam iam
vivendo fessus, lectica se in Curiam deferri iussit, cum Pyrrho
deformem pacem fieri prohibiturus. Hunc caecum aliquis no-
minet, a quo Patria, quod honestum erat per se parum cernens,
cauta e providere? numquid Cn. Aufidius praetorius in caeci-
tate sententiam in senatu dixit, et amicis deliberantibus ad-
fuit? Annon C. Drusus caecus fuit, eius tamen domus imple-
batur consultoribus, qui in suis causis caecum adhibebant
ducem. Quid obsecro gloriae virtutique fortissimorum
horum virorum visu caruisse obfuit, nisi ut quos natura et ars
fecerant mirabiles, caecitas fecerit stupendos? videtis quid
caecitas hominibus obsit, quo minus in variis scientiarum discipli-
nis excellere, et alta honorum dignitatumque culmina possint as-
cendere. Porro AA: quid dicturi essetis, si in medium
adducerem eos, qui tanti aestimarunt habere oculos ut illos si-
bi ipsis abstulerint. e contra vero in tantum caecitatem adama-
runt, ut illam visui longe anteposuerint; oculos hostes virtutum
arbitrati. Quid Apuleius et Hermes divini Platonis dis-
cipuli, quid fecerunt? hi ne a virtutis studio avocarentur, ocu-
NB los sibi ipsis eruerunt. Occurrit menti meae D. Domi-
nici alumna Lucia, quae facinus supra sexus conditionem forte